

6 In defectu opponitur Inofficiositas, quâ homo ad aliis inferviendum difficilem sese præbet.

SCHOL. Vitium hoc hodie nimis invaluit. Quotusquisque enim est qui alteri gratificetur, nisi lucri spes subsit, vel saltem speret officia præstita retributum iri.

~~~~~

Cap. XXIII. De Liberalitate.

**L**iberalitas est virtus communicativa gratuiti in sumptuum erogatione modum servans.

SCHOL. Græcè ἐλευθεριότης. Ab Arist. lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 1. & 2. definitur μεσότης πρὸς χρημάτων δόσιν καὶ λήψιν, id est, circa pecuniarum dationem & acceptio-  
nem, ubi nomine pecuniarum etiam intelligitur quidvis  
aliud, quod pecuniæ correspondet, vel quod pecuniâ pa-  
rari potest. In acceptione autem Aristoteli liberalis dicitur, qui tantum accipit, quantum decet. Qui enim plus accipit, ut avari solent, meritò à liberalitate alienus vocatur, quia sordidus est. Et sic quidem Aristoteles sentit. Alii ex recentioribus Liberalitatem ponunt non in divitiarum vel acquisitione, vel acceptione, vel φυλακῇ, i. e. custodiâ, quo modo & parsimonia est liberalitas, (φυλακῆ enim Aristoteles etiam præcipit) sed in earundem duntaxat usu, quatenus in datione & amissione consistit. Liberalis igitur hic est, qui promptus est ad dandum, quibus, quando, quare, quomodo, ubi & quantum decet. Commendatur liberalitas Prov. 11. v. 26. & cap. 28. v. 27. Exemplum habemus egregium in Cyro, rege Persarum, quum dimisit Israëlitas ad reedificandum templum, lib. Esdræ, toto cap. 1. & in Artaxerxe, qui Arthasasta dicitur ibid. cap. 2. v. 11. & seqq. in Magis, Matth. 2. v. 11. in Lydia, Act. 16. v. 15. Titus Vespasianus, dissimilis patris Flavii, qui propter justitiam & beneficentiam amor & deliciæ generis humani nominatus est, adeò liberalis fuisse scribitur,

Circumstantiæ  
quis, quid, ubi, quibus, auxilijs, cur, quomodo, quando.

bitur,